Circa Lichenes vitricolas notula.

Scripsit W. Nylander.

Jam diu res cognita fuit saepeque citata, Lichenes substratis maxime diversis affixos crescere seseque solis materiis ab atmosphaera oblatis (ope pluviae, roris vel aquarum variarum) nutrientes, etiam supra metalla[1]) et vitra nuda optime vigentes obvenire.

Ultimis temporibus in Gallia Domini Bouteille et J. Richard Lichenes vitricolas plurimos invenerunt, atque, ni fallor, cl. procurator Reïpublicae Richard recensionem specierum in eo substrato habitantium parat. Nec hic de tali occupor enumeratione; aliud vellem considerare momentum paucisque exponere, quod cuique elucet hos Lichenes in statione illa peculiari observante supra vitrum annosum vel fragmenta vitrea lagenarum vetustissima.

Antea in Flora 1877, p. 356, et 1878, p. 247, animadverti, inutile omnino esse, saltem quoad permultos Lichenes, germinationes e sporis cultis domi tentare vel suscipere, quod aegre bene procedit[2]); in natura germinationes tenerrimae et totius evolutionis Lichenum omnia stadia frequenter occurrunt et „optime facillimeque apparent super saxa quartzosa vel super cortices laeves, visibilia omni observatori res oculis aliquantulum attentis perspicienti.“ Ita commodissime et convenientissime stadia evolutionis primae scrutari licet. Addendum autem quod hocce etiam facilius observatur supra vitra per longam seriem annorum in regionibus lichenosis exposita. Ibi in vitri superficie purissima sub microscopio ante oculos habemus numerosas germinationes et formationes prothallinas, tum sensim advenientes ortus glomerulorum primorum thalli (qualia quidem initia thallina satis bene figurantur, cellulis primis adnatis corticalibus gonidiogenis, in Tul. Mém. Lich. t. 3, f. 3) et intuemur totum processum evolutionis inde e spora germinante ad thallum perfectum et tandem ad formationem apotheciorum perfectorum. Quae omnia formari conspiciuntur per se, scilicet sola vi insita

[1]) Vide Nyl. Circa Lichenes ferricolas notula in Botan. Zeit. 1862, p. 329.

[2]) Experimenta ejusmodi germinationis aliaque tiro novitius qualiscunque et inexpertissimus facere potest; meritum igitur sic acquirendum facile vanum et inane manet. Quod docet eos, qui Physiologia sola praecellere volunt vix magnos certosque progressus facere posse, nisi studiis systematicis practicis solidis nituntur. Non praetervidendum est, Physiologiam modo partem sistere scientiae Botanicae nec illam solam tute progredi.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0305-7

vel procreandi impulsione, quae inest in spora, solis materiis adjuvantibus, quae dantur ab atmosphaera, adjuvanteque sic praesertim aqua pluviali. Super substratum vitreum purissimum ubi haec phaenomena vitalia peraguntur, nullum vestigium *Protococci* (vel *Pleurococci*) ullius nec elementi thallis heterogenei ullius in vicinia detegitur, tamen innumera exempla germinationum talium perbene vigentium examinavimus, praesertim *Lecanorae galactinae* Ach., *Lecanorae exiguae* Ach. et *Lecideae alboatrae*, quae species super vitrum frequentissime lectae fuerunt a cl. Richard et quae ibi commixtae occurrunt. Initia prothallina *Lecanorae exiguae* circa sporam dendritice radiant, coloris sunt nigrescentis, hypothallum formant, in quo glomeruli minuti thallini cellulosi adnascuntur, mox gonidia in cellulis sese formantia exhibentes (omnia haec sicut in figura jam citata apud Tulasne l. c.); saepe quoque in admodum juvenili plantula prodire videmus apothecia. Similiter res se habet cum initiis *Lecanorae galactinae*, at hypothallus albus, filamentis constans byssinis albis, lateraliter appositis et contiguis, adpressis. Hi hypothalli omnes vitro arctissime adglutinati. Nulla quidem vestigia Protococcorum accedentium, ut vellet fabula recens; nihil tales res referens obvium est.

Itaque ludibrium imaginationis, quod sistit hypothesin Schwendenerianam, etiam hac demonstratione ad nihilum redigitur, unde eam numquam emersisse praestitisset.[1])

[1]) Hoc loco notetur observatio ad verba pauca, quae attuli in Flora 1879, p. 206, circa explicationem singularem Domini Stahl ortus apotheciorum e contortionibus filamentosis vel hyphis contortis. Nihil tale revera existit. In maximo numero Lichenum, apud quos examinavi prima stamina apotheciorum, primordium sistit (versus superficiem thalli) nubecula cellularum minutissimarum vel congeries talium cellularum condensata, quae initium hypothecii vel conceptaculi fingit, super quod sensim exsurgunt erecta initia thecarum et paraphyses, ubi eae ad Lichenem pertinent; sed nihil contortum occurit, nec thecarum nec hypothecii, sicut figuris commentitiis affirmatum fuit. — De aliis figuris alia occasione.

Anzeige.

W. A. Zeighton,

Lichen-Flora of Great Britain 1879

ist erschienen und vom Herausgeber in Lucirfelde, Shrewsbury, England um **22 Shill.** = **22 M. 25 Pf.** portofrei zu beziehen.

Redacteur: Dr. **Singer.** Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei (**F. Huber**) in Regensburg.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0306-3

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1879

Band/Volume: 62

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa Lichenes vitricolas notula 303-304